pauciſsimis expedire) *Deus longiorem vitæ vſuram conceſsiſſet. Habes igitur* (*Lector benevole*) *in hoc libello, doctrinam conſtructionis Logarithmorum* (*quos hîc numeros artificiales appellat? hunc enim tractatum, ante inventam* Logarithmorum *vocem, apud ſe pro aliquot annos conſcriptum habuerat*) *copioſiſsimè explicatam? in qua eorum natura, ſymptomata, ac variæ ad naturales eorum numeros habitudines perſpicuè demonſtrantur. Viſum eſt etiam ipſi ſyntaxi ſubnectere Appendicem quandam, de alia Logarithmorum ſpecie multò præſtantiore condenda,* (*cujus, ipſe Inventor in Epiſtola* Rabdologiæ *ſuæ præfixa meminit*) *& in qua Logarithmus unitatis eſt* 0. *Hanc loco ultimo ultimus ejus labor excipit, ad ulteriorem Trigonometriæ ſuæ Logarithmicæ perfectionem ſpectans? nempe propoſitiones quædam eminentiſsimæ, in Triangulis ſphæricis non quadrantalibus reſolvendis, abſque eorum in quadrantalia aut rectangula diviſione, & abſque caſuum obſervatione: quæs quidem Propoſitiones in ordinem redigere, & ordine demonſtrare ſtatuerat, niſi nobis morte præproperâ præreptus fuiſſet. Lucubrationes etiam aliquot, Mathematici excellentiſsimi* D. Henrici Briggij *publici apud* Londinenſes *Profeſſoris, in memoratas Propoſitiones, & novam hanc Logarithmorum ſpeciem, Typis mandari curavimus? qui novi hujus Canonis ſupputandi laborem graviſsimum, pro ſingulari amicitia quæ illi cum Patre meo* L. M. *interceſsit, animo libentiſsimo in ſe ſuſcepit; creandi methodo, & uſuum explanatione Inventori relictis. Nunc autem ipſo ex hac vita evocato, totius negotij onus doctiſsimi* Briggij *humeris incumbere, & Sparta hæc ornanda illi ſorte quadam obtigiſſe videtur. Hiſce interim* (*Lector*) *laboribus quibuſcunque fruere, & pro humanitate tua boni conſulito.* Vale.

MIRIFICI

MIRIFICI LOGARITHMORVM CANONIS CONSTRVCTIO: (QVI ET TABVLA ARTIFICIALIS AB AVTHORE deinceps appellatur) eorumque ad naturales ipſorum numeros habitudines.

POSITIO PRIMA.

TABVLA * *Artificialis, eſt minima Tabula, cuius operâ facillimo computu omnium Geometricarum dimenſionum, motuumque ſublimium habetur notitia.* †Logarithm.

HÆc meritò minima dicitur, quia Tabulam ſinuum volumine non exſuperat: facillima, quia per eam omnes multiplicationes, diviſiones, extractioneſque radicum graviores evitantur: ſolis enim & perpaucis facillimiſque additionibus, ſubſtractionibus, & bipartitionibus omnes generaliter figuras motuſque metitur.

Hæc è numeris proportione continua progredientibus excerpitur.

Poſ. 2. *Continuarum progreſsionum, alia Arithmetica quæ per æqualia interualla progreditur: Alia Geometrica, quæ per inæqualia & proportionaliter creſcentia, aut deficientia incedit.*

Arithmetica progreſſio, vt 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, &c. vel 2, 4, 6, 8, 10,